



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 2. An restitutio actualis necessaria est ad salutem necessitate
præcepti?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

ca æqualitatem rei ad rem ex S. Thoma 2.2. q. 62. a. 1. Differt à satisfactione sive latè, sive strictè sumptâ. Nam satisfactio latè sumpta est quid generalius, & complectitur tum restitutionem, tum etiam quamlibet reparationem, & subitionem poenæ pro offensâ alteri illatâ: satisfactio verò sumpta strictè est inhonorationis, ac contumeliæ illatæ reparatio, & sic spectat personam: at restitutio est rei alienæ redditio, vel damni compensatio, vel debiti solutio, & spectat res, non personas: nec semper supponit injuriam, ut satisfactio, nam v. g. qui depositum reddit, verè restituit, licet nullam injuriam intulerit. Quæ tamen de restitutione dicentur, applicari debent satisfactioni latè sumptæ, & reparationi famæ, honoris & aliorum bonorum, cùm sit eadem ratio, ac regula pro his omnibus.

Q. 2. An restitutio actualis necessaria est ad salutem necessitate præcepti?

Resp. Aff. nisi impotentia excuset, vel adsit justa causa differendi. Constat 1. ex Rom. 13. Reddite omnibus debita... nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. & Ezech. 33. Si fecerit iudicium, & justitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam iniustum: vitæ vivet, & non morietur, &c. & Jac. 5. Ecce merces operariorum, quæ fraudata est à vobis, clamat, &c. 2. ex Reg. 4. Jur. in 6. Peccatum

catum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.
 Idem habet Sancti Augustin. in c. Si res 14. q.
 6. ibi: si res aliena, propter quam peccatum est,
 cum reddi possit, non redditur, non agitur peniten-
 tia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non
 remittitur peccatum nisi restituatur ablatum:
 sed, ut dixi, cum restitui potest. 3. Quia qui non
 restituit cum potest, nec habet rationabilem
 causam differendi, voluntariè nocet, & facit
 injuriam proximo: nam eum privat possessio-
 ne, & usurei suæ, vel debitæ, & violat Jus quod
 habet, ut rem illam nunc possideat. At inju-
 ria quælibet prohibita est lege divina naturali,
 præsertim hæc generali: *Quod tibi non vis fieri,
 alteri ne feceris: suum cuique reddendum.* Quod
 procedit, sive res sit debita ob injuriam, sive
 ex contractu justo, cum sit utrobique eadem
 ratio, & creditor habeat Jus strictum possi-
 dendi rem sibi ex contractu debitam. Hoc
 autem præceptum divinum naturale est pri-
 mariò negativum, & secundariò affirmati-
 vum. Nam primariò vetat, ne retineatur
 alienum, vel alteri debitum invito rationabili-
 ter Domino, & ideò præcipit actum restitu-
 endi. *Præceptum de restitutione facienda, quam-
 vis secundum formam sit affirmativum, implicat
 tamen in se negativum præceptum, quo prohibe-
 mur rem alterius detinere.* Ait S. Thom. q. 62.
 a. 8. ad 1. quare obligat semper pro semper,
 nam semper illicitum est retinere rem alienam,
 Domino rationabiliter invito: deinde omis-
 sio

sio restitutionis est virtualiter acceptio rei alienæ continuata, invito Domino, ideóque furtum continuatum contra præceptum negativum, *non furtum facies*. Unde Conc. Gener. Later. IV. c. 39. ait *non multùm interesse, præsertim quoad periculum animæ, detinere injustè, ac invadere alienum*: & à Trident. sess. 25. c. 12. qui decimas non solvunt, res alienas invadere dicuntur. Hinc mortaliter peccat, qui notabili tempore omittit restitutionem, vel solutionem integram, quam potest facere, vel etiam brevi tempore omittit, si inde creditor damnum grave patiatur. Quia tunc graviter lædit Jus alterius: nec excusatur, eò quòd imposuerit hæredibus suis obligationem restituendi, cum hanc ipse nunc habeat, & implere teneatur. Adde quòd sæpè hæredes non restituant, ideóque periculum sit ne omittatur restitutio: qui autem non potest restituere, debet habere voluntatem saltem implicitam restituendi, cum primùm facultas restituendi aderit, & moralem diligentiam adhibere ad hanc facultatem comparandam: qui enim tenetur ad finem, simul tenetur ad media ad eum necessaria. Qui verò non potest totum restituere, tenetur statim restituere, ac solvere partem quam potest, cum circa illam non habeat justam excusationem.

Q. 3. *Quandonam peccatum injustæ detentionis continuatur, & multiplicatur?*

Resp. I. Qui non restituit, vel debita non solvit, cum potest, & debet, actu peccat toto

tem-